1626

253

CENSVRA SACRAE FACVLTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

in librum qui inscribitur, *Antonij Sanctarelli ex soc. Jesu, tractatus de hæresi, schismate, Apostasia, sollicitatione in sacramento Pœnitentiæ et de potestate summi Pontificis in his delictis puniendis.*

Romæ apud hær. Bart. Zannetti 1625.
Superiorum permissu.

CVM DECRETO VNIVERSITATIS PARISIENSIS ET EPITOME OBSERVATIONVM IN CENSVRAM EX sacra scriptura, sanctis decretis & canonibus Conciliorum, operibus SS. Patrum, & aliorum

Quorum index in sequenti pagina est.

* * *

S. AMBROSIVS IN EVANG. Lucæ, cap. 23.

Melior causa quæ non defenditur, & probatur.

†

† * †

DE MANDATO D. RECTORIS.

Apud PETRVM DVRAND, in monte S. Hilarij.

M. DC. XXV I.

Case
F
39
.326
1626p2

48-1127

INDEX LIBRORVM
EX QVIBVS DESVMPTÆ SVNT obseruationes, quibus probantur singulæ conclusiones Censuræ.

BIblia sacra Edit. Paris. 1608.

Canones Apostolorum edit. Antuerp. ann. 1575. & Paris. ann. 1620. cum Commentariis Balsamonis & Zonaræ.

Concilia generalia Romæ edita ann. 1612.

Corpus iuris Canonici edit. Paris. ann. 1587.

Origenis Adamantij opera à Gilberto Genebrardo Theologo Parisiensi diuinarum & Hebraïcarum literarum Professore Regio recognita edit. Paris. an. 1604. 226.

250. Cypriani opera edit. Pariſ. apud Niuellium 1603.

370. S. Baſilij magni Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopi opera edit. Pariſ. ann. 1618. apud Morellum.

374. S. Ambroſij Epiſcopi Mediolanenſis opera edit. Pariſ. ann. 1603.

390. S. Hieronimi opera edit. Pariſ. an. 1579. apud Niuellium.

398. S. Ioannis Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolitani opera edit. Venetæ an. 1574.

420. S. Auguſtini opera Epiſcopi Hipponenſis edit. Pariſ. an. 1586.

604. S. Gregorij magni Papæ I. opera edit. pariſ. an. 1605.

1088. Yuonis Epiſcopi Carnotenſis opera edit. Pariſ. an. 1610.

Sigeberti Gemblacensis monachi chronicon edit. Antuerp. 1608. 1101.

S. Bernardi Abbatis Clarauallensis opera edit. Paris. an. 1586. 1130.

Guilelmi Antisiodorensis Episcopi Doctoris facultatis Theologiæ Parisiensis Summa Theologica edit. Paris. 1500. 1240.

Guilelmi Durandi speculatoris, Episcopi Mimatensis de modo generalis concilij celebrandi edit. Lugd. apud Ioh. Crispinum 1531. 1280.

Glossa ordinaria edit. Lugd. apud Iac. Mareschal 1520. 1320.

Mᵉ Iean de Rely Docteur en Theologie & Chanoine de l'Eglise de Paris. 1483.

Onuphrius Panuinus Veronensis 1558.

ordinis Eremitarum S. Auguſtini de Romanis Principibus & iis quorum maxima in Italia imperia fuerunt edit. Baſil. an 1558.

1564. Fran. Duareni de ſacris Eccleſiæ miniſteriis & beneficijs edit. Pariſ. an 1564. cum Priuilegio Regis & decreto Curiæ Parlamenti Pariſienſis.

Cayer de l'Aſſemblee tenuë à Paris, ſoubs le nom d'Eſtats en 1593.

Reſponſe a l'aduertiſſement du Roy de la grand' Bretagne par F. N. Coeffeteau, de l'ordre des Fr. Preſcheurs, & Predicateur ordinaire du Roy, Imprimé à Paris chez Huby 1609.

Rob. Bellarmini Cardinalis de ſuprema poteſtate ſummi Pontificis. Romæ 1611.

M. Andreæ Duuallij liber de ſuprema Romani Pontificis in Eccleſiam poteſtate. Edit. Pariſ. apdu Langlæum 1614.

M. Michaelis Maucleri libri de Monarchia diuina Eccleſiaſtica & ſæculari Pariſ. apud Cramoiſy 1622.

M. Georgij Froger notæ in librum de Eccleſiaſtica & politica poteſtate.

Martini Becani Theologiæ ſcholaſticæ tomi duo. Pariſ. apud Chappelet 1620.

1626. 35. Cart. m. n. 19

CENSVRA SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

lata in librum qui inſcribitur, ANTONII SANCTARELLI ex Societate Ieſu, Tractatus de Hæreſi, Schiſmate, Apoſtaſia, ſollicitatione in Sacramento Pœnitentiæ, & de poteſtate Summi Pontificis in his delictis puniendis.

Ad Sereniſſimum Principem MAVRITIVM Cardinalem à Sabaudia.

Romæ, apud Hæredem Bartholomæi Zannetti, M. DC. XXV. Superiorum permiſſu.

SI quis, *in nos, fines ſæculorum deueniſſe*, vt loquitur Gentium Apoſtolus, forte dubitet, poſtrema hæc tempora tantiſper 1. Ad Corint. 10.

expendat, eáque cum prioribus componat, is facile deprehendet humani generis hostem in vtraque politia & Ecclesiastica & Ciuili, nihil intentatum reliquisse, quominus vtramque non tam labefactare, quàm omnino pessundare videretur. Ecclesiam, Christi sponsam; quà stylo, quà ferro conficere conati sunt impij illi qui *posuerunt in cœlum os suum:* Politiam illam ciuilem, alia via sunt aggressi dementati homines; cum enim *potestatem sæculi* non sine causa gladium portare viderent, libris nefandis, quasi per clanculares insidias, è medio tollendam existimarunt. Hos S. Iudas Epistolâ canonicâ, non aliâ notâ nobis dignoscendos proponit, quàm quia *dominationem contemnant & maiestatem blasphement.* Atque vtinam de solo contemptu & maledica oratione ageretur, quin malè feriati scriptores id

genus, potestatis cuiusdam in Ecclesia temporalis prætextu, Reges, arbitrio & nutu Ecclesiastico, leuissimis etiam de causis, ac planè ridiculis, de solio deturbandos, alios que, vel annuos vel etiam diarios, si ita libuerit, substituendos contendunt. Quod cum in vniuersæ ciuilis politiæ, ac potissimũ Gallicæ Monarchiæ, sub Christianissimo, clementissimo, & iustissimo Rege nostro Ludouico, pernicié, euersionémque meditatum, confectumque videret Facultas Theologica Parisiensis, vt Maiorum vestigijs inhærendo, suum erga pientissimum Regem nostrum, istudque præsertim Christianissimum Regnum, animum studiumque declararet, bonorumque omnium votis satisfaceret, præ cæteris nuperum librum *Antonij Sanctarelli Iesuitæ, de Hæresi, Schismate, Apostasia, &c.* à quibusdam selectis Doctoribus exami-

nandum censuit, in congregatione generali extraordinaria, decima sexta Martij immediatè præcedentis habita. Sed quoniam multa in eo pertractantur, quæ ad rem quâ de potissimum agitur, minime spectarent, duo dumtaxat capita, 30. & 31. Tractatus de Hæresi, excutienda selegit.

Itaque anno Domini 1626. die prima Aprilis, post Missam de S. Spiritu, habitis solemni more & vsitatis Comitijs in Aula Collegij Sorbonæ, audita est relatio Magistrorum ab eadem Facultate selectorum, qui exposuerũt in duobus illis capitibus istas propositiones contineri; *SVMMVM Pontificem posse pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eosque deponere & suis Regnis priuare ob crimen hæresis; eorumque subditos ab illorum obedientia liberare; eamque semper in Ecclesia fuisse consuetudinem*: Et propter alias etiam

causas; vt, *pro delictis; si expedit; si Principes sint negligentes; propter insufficientiam & inutilitatem suarum personarum.* Item, *Pontificem jus & potestatem habere in spiritualia simul & omnia temporalia: Et in eo esse de jure diuino vtramque potestatem, spiritualem & temporalem: Credendum esse, Ecclesiæ summoque eius Pastori concessam esse facultatem puniendi pœnis temporalibus* (PRINCIPES) *transgressores legum diuinarum & humanarum, præsertim si crimen fuerit hæresis.* Dixer unt etiam eun dem Sanctarellum asserere *Apostolos fuisse subiectos Principibus secularibus de facto, non de iure:* Quinetiam, *statim atque constituta est Pontificia Maiestas, cœpisse omnes Principes esse illi subiectos.* Denique retulerunt eum explicare verba Christi, *Quodcumque ligaueris super terram, &c. non tantùm de potestate spiritali, sed etiam de temporali*; Ipsum- Math. 16.

2. Ad Corint. 13. Potestatem dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem.

que S. Paulo imponere, verba illius, detractâ negatione, immutando, & multis auctoribus ab ipso citatis. Alia etiam multa similia retulerunt, quæ sibi videbantur graui Facultatis animaduersione & censurâ dignissima. Re itaque in deliberationem à D. Decano adductâ, auditis omnium & singulorum Magistrorum maturis deliberationibus, FACVLTAS improbauit & damnauit doctrinam his propositionibus & horum capitum corollarijs contentam, tanquam nouam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati odium conciliantem, schismati occasionem præbentem, supremæ Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum conuersionem impedientem, pacis publicæ perturbatiuam, Regnorum, Statuum, Rerum-

260.7

que publicarum euersiuam; subditos ab obedientiâ & subiectione auocantem, & ad factiones, rebelliones, seditiones & principum parricidia excitantem. Datum in Sorbonâ, die & anno prędatis, & recognitum die 4. Aprilis 1626.

De mandato D. D. Decani & Magistrorum prædatæ Facultatis sacrę Theologiæ Parisiensis.

PH. BOVVOT.

DECRETVM ALMÆ VNIVERSITATIS PARISIENSIS,

Anno ſalutis CIↃ IↃC XXVI. *die* XII. *Kal. Majas, in Maturinenſi, ſcribendo adfuerunt Rector, Decani, Procuratores, Magiſtri,*

VNIVERSITAS STVDIORVM.

QVOD verba fecit RECTOR, ſapientiſſimum Ordinem Theologorum, pro ſuâ in Rem Chriſtianam, Regem Chriſtianiſſimum eiuſque Imperium fide ac

pietate, boni atque recti cõstanti amore, maiorum solemni more, Antonij *Sanctarelli Iesuitæ*, de Hæresi, Schismate, Apostasia, &c. librum inspexisse & deprehendisse in eius libri capitibus xxx. & xxxi. tractatûs de Hæresi, has propositiones; *Summum Pontificem posse pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eosque deponere, & suis regnis priuare ob crimen hæresis, eorumque subditos ab illorum obedientiâ liberare, eamque semper in Ecclesiâ fuisse consuetudinem: Et propter alias etiam causas, vt pro delictis; si expedit; si Principes sint negligentes: propter insufficientiam, & inutilitatem suarum personarum.* Item, *Pontificem ius & potestatem habere in spiritualia simul & omnia temporalia: Et in eo esse de iure Diuino vtramque potestatem, spiritualem & temporalem: Credendum esse, Ecclesiæ summóque eius Pastori concessam esse facultatem puniendi*

pœnis temporalibus Principes transgressores legum diuinarum & humanarum, præsertim si crimen fuerit hæresis; Eumdem Sanctarellum asserere *Apostolos fuisse subiectos Principibus sæcularibus de facto, non de iure: quinetiam statim atque constituta est Pontificia Maiestas, cæpisse omnes Principes esse illi subiectos*: denique eũ explicare verba Christi, Quodcumque ligaueris super terram, &c. *non tantum de potestate spiritali sed etiam de temporali*: Ipsumque sancto Paulo imponere, verba illius, detracta negatione, immutando; & multis auctoribus ab ipso citatis: alia etiam multa similia: eáque propter, die VI. Aprilis, publicâ, iustâ legitimáque animaduersione, notâ, censurâ, pestiferi eius libri propositiones istas improbasse, & eam doctrinam quam continent, tanquam nouam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ digni-

tati odium conciliantem, ſchiſmati occaſionem præbentem, ſupremæ Regum auctoritati, à Deo ſolo dependenti, derogantem, Principum infidelium & hæreticorum conuerſionem impedientem, pacis publicæ perturbatiuam, Regnorum, Statuum, Rerúmque publicarum euerſiuam, ſubditos ab obedientiâ & ſubiectione auocantem, & ad factiones, rebelliones, ſeditiones, & Principum parricidia excitantem, damnaſſe:

De ea re ita cenſuerunt. Laudandum ampliſſimis verbis ſacrum Ordinem Theologorum, qui de improbâ & exitiali doctrinâ iſtâ piè, religiosè, ſalubritérque ſtatuerint, generi Chriſtiano, Galliæque in primis, priſcæ veræque doctrinæ lumen opportunè oſtenderint, Maiorum virtutem retulerint, rémque adeò fecerint illâ profeſſione tuendæ veritatis &

Studiorum Vniuersitate dignissimam.

Vtque nouæ ac pestilenti doctrinæ aditus omnis intercludatur, & omnes qui è disciplinâ nostra sunt, eamque in posterum amplectentur, aut in eam nomen dabunt, maturè intelligant sensus sibi animosque è sacri Ordinis illâ Sententia comparandos, à damnatâ doctrinâ istâ longissimè disiungendos : Vtique eam omnes auersentur, detestentur, & abhorreant, priuatim ac publicè dedoceant, confutent, coarguant:

Faciendum, vt Supplicationum solemni primo, tum quotannis in eo cœtu, qui publicè supplicandi & procedendi caussâ, statim ab instauratis Scholis mense Octobri agitur, priusquàm cuiquam postulare quid liceat, à Procuratore Vniuersitatis ea Censura palàm recitetur: tabulis libríue om-

nium Ordinum Nationúmque inſcribatur: eius exempla duo, Actuarij ſacræ Facultatis manu diſtincta, ſubſcriptáque, in commune tabularium inferantur: totidem ad ſingulos Collegiorum & Domorum Moderatores primo quoque tempore mittantur: vt omni ope ac ſtudio ab iſtius doctrinæ contagio atque peſte, omnes qui eo contubernio domicilióue vtentur, arceant, operámque dent, vt ne cui, contra quàm ſapientiſſimus Ordo decreuit, iudicauítque, dicere facereue quicquam liceat. Si quis eorum quid migrarit, ſecúſue fecerit, Doctor, Profeſſor, Magiſter, Diſcipulus, Literarum ciuis; aut laudatiſſimam Cenſuram vllo quouis pacto, dicto, ſcriptóue quacumque tandem de cauſsâ obtentúve ſolicitarit, mouerit, attentarit; Is ignominiæ cauſsâ dimiſſus,

Gradum, Ordinem, Tribumque per-
pertuo interdicto amittat.

QVINTAINE,
Scriba Vniuersitatis.

1264

OBSERVATIONES

IN VERB.

NOVAM.

BELLARMINVS tractatu de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus edito Romæ apud Zannetum an. 1610. *in prolegom. num.* 1. Primus *ex Italica natione prodeat S. Gregorius* VII. *Papa qui libr.* 8. *registri sui Epist.* 2. *ad Episc. Metensem, copiose docet posse à Romano Pontifice Principes Christianos excommunicari & principatu priuari, eorumque subditos ab obedientia eorum absolui.* Sedit an. 1073.

M. GEORGIVS FROGER Doctor Sorbonicus in notis in librum de Ecclesiastica & Politica potestate. num. 18. *Iam tegit nos & protegit columna nubis, id est gratia, quæ neque naturam* neque naturalia aut gentilia Principum iura destruit, *sed perficit : Quapropter non existimo summum Pontificem Romæ sedentem ad clauum Ecclesiæ, vnquam probaturum*, spermologos istos NOVATORES, *sanctissimæ sedi affingen-*

tes id quod antea *nesciuit. Non possum non offendi magnopere & exacerbari aduersus dirum & pessime feriatum hominem* Becanum, eiusque ominosum *& portentosum valde libellum, non repudiare & proculcare, quem nuper edidit sub titulo* Controuersiæ Anglicanæ, *sed plane maniaco & dæmoniaco, atque aduersus istam pestilentissimam furiosissimamque Becani buccam & scripturam oppono, vt compendio dicam, Barclaium & Ioannem Barclaij, & Rogerum Vindrictonum Catholicum Anglum, qui firmissimis argumentorum machinis arietant & exturbant propugnacula Becani, Bellarmini Cardinalis alioqui illustrissimi & de Ecclesia sancta optime meriti, Marianæ & similium.*

SIGEBERTVS GEMBLACENSIS Monachus in chronico edit. Antuerp. apud Verdussium 1608. pag. 168. anno 1088. *Nimirum, vt pace omnium bonorum dixerim,* hæc sola NOVITAS, *ne dicam hæresis, necdum in mundo emerserat, vt sacerdotes illius qui dicit Regi apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quod malis Regibus nullam debeant subiectionem, & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen fidelitatem debeant, nec periuri di-*

cantur, qui contra Regem senserint, imo qui Regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxa iniustitiæ & periurij absoluatur.

ACTA in comitijs Facultatis Theologiæ Parisiensis contra librum inscriptum, Controuersia Anglicana, &c. auctore Martino Becano, habitis die 1. Febr. an. 1613. *M. Nicolaus* DE PARIS *doctor eiusdem Facultatis, propositiones* (Becani) *mendacijs æque ac imposturis exundare, sibi quidem cum bona venia Facultatis, videri dixit,* NOVORVM *errorum* ac criminum defensionem Catholicis affingere. ——— *Insuper quoque se* (*Antonium* FAYET) *addidisse* ——— *Facultatem magnopere vereri ne posteri in Controuersia sollicitata à Becano silentium aut remissionem suam in eam partem accipiant, vt arbitrentur Theologos Parisienses, eandem seditiosissimam doctrinam approbare, &* maiorum placita, *quibus Regum Christianissimorum vt & aliorum omnium vita & suprema autoritas fulcitur, damnare:* quanti autem id ad publicam *tranquillitatem referat, admirabili prudentiæ ipsius domini* Cancellarij *relinquere: interea sacrũ ordinem Theologorum omnino percupere, suam fidem atque religionem in*

tutanda ſuorum Regum vita & dignitate, nec non etiam in retinenda maiorum doctrina, *omnibus perſpectam & exploratam eſſe. Dominũ* CANCELLARIVM *vultu maxime beneuolo & humano reſpondiſſe gratiſſimum ſe habere Facultatis ſtudium erga perſonas Regum ſuorum Chriſtianiſſimorum, ſe Ordinem Theologorum Pariſienſium & vniuerſam Academiam, cui primam ſuam eruditionem acceptam referebat, ſemper magni feciſſe: legiſſe integrum* Becani libellum, & valde pernicioſum iudicaſſe, *non ſolum expedire verum etiam* perneceſſarium *eſſe, tum vt poſteri cognoſcant doctrinam Facultatis ab iſta* NOVA & periculoſa doctrina *longe differentem eſſe, tum vt præſentiſſimum remedium contra illam,* quando in dies gliſcit vehementius, *reperiatur.*

S. GREGORIVS MAGNVS Papa 1. epiſt. lib. 7. Epiſt. 1. ad Sabinianum; *Vnum eſt quod breuiter ſuggeras ſereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi ego ſeruus eorũ* in morte *Longobardorum* me miſcere *voluiſſem, hodie Longobardorũ gens nec* Regem, *nec* Duces, *nec* Comites *haberet, atque* in ſumma confuſione *eſſet diuiſa. Sed quia Deum timeo* in mortem cuiuſlibet *hominis me miſcere formido.*

YVO CARNOTENSIS Epiſcopus Epiſt.

171. ad Daimbertum Senonenſium Archiepiſcopum; *Diſpenſationes rerum temporalium* Regibus *attributæ ſunt, & baſilei; id eſt fundamentum populi & caput exiſtunt. Si aliquando poteſtate ſibi conceſſa abutuntur; non ſunt à nobis grauiter exaſperandi, ſed vbi Sacerdotum admonitionibus non adquieuerint,* diuino ſunt iudicio reſeruãdi: *vbi tanto diſtrictius ſunt puniendi quanto minus fuerint diuinis admonitionibus obnoxij. Vnde habetur in libro capitulorum Regalium auctoritate Epiſcoporum conſtitutorum*; Si quos culpatorum *Regia poteſtas* aut in gratiam benignitatis receperit, aut menſæ ſuæ participes effecerit; hos & Sacerdotum & Populorum conuentus ſuſcipere Eccleſiaſtica communione debebit, vt quod *Principalis pietas* recipit, *nec à Sacerdotibus Dei extraneum habeatur.*

Extat in Cõc. Tolet. 12. cap. 3.

ONVPHRIVS VERONENSIS, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in præfatione lib. 4. de Romanis principibus. *Mirum illud* obſeruandum eſt *quod cum nulla gens vnquam fuit, quæ aut externos Principes non admiſerit, aut aſſumptos interdum non expulerit, ſæpe etiam* per ſummum ſcelus *non occiderit*, SOLIS FRANCIS *hoc peculiare eſt ac*

proprium, nullos vnquam exteros Reges *pati, suos autem vsque adeo amare & colere, vt pro eorum dignitate ac Maiestate tuenda, non* OPES *tantum, sed* VITAM *profundere soleant : hinc euenisse credendum est, vt per* mille & ducentorum fere annorum *interuallum, nonnisi ex tribus familiis tot Reges Francis orti sint.*

M. IEAN DE RELY Docteur en Theologie, & Chanoine de l'Eglise de Paris, en la seconde harangue par luy faicte aux trois Estats, tenus à Tours, en 1483. le Roy Charles VIII. presidant en iceux dit; *Les diuisions viennent pour l'instabilité, mauuaistié & desloyaute du peuple, comme en Angleterre, ils ont souuent mis à mort leurs Roys* : Ce que ne fit iamais *le bon & loyal Peuple de France.*

CANON 26. APOSTOLORVM, *Episcopum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles iniuriam inferentes percutit, &* terrorem ipsis per huiusmodi vult incutere, *deponi præcipimus : nusquam enim Dominus hoc nos docuit : Imo verò contra, cum ipse percuteretur, non repercutiebat ; cum lacesseretur conuitiis, non regerebat conuitium ; cum pateretur, non comminabatur.*

CANON 6. *Episcopus sæculares curas non susciptio, alioquin deponitor.*

CANON 80. *Non oportet Episcopum* publicis se administrationibus immittere, *sed vacare & commodum se exhibere vsibus Ecclesiasticis. Animum igitur inducto hoc non facere, aut deponitor : Nemo enim potest duobus Dominis inseruire, iuxta præceptum Dominicum.*

CANON 82. *Episcopus qui* militiæ *vacauerit, & simul vtrumque retinere voluerit,* tam [a] officium Romanum, quam functionem sacerdotalem, *deponitor : Quæ enim Cæsaris sunt, Cæsari : & quæ Dei, Deo.*

[a] ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν.

CANON 83. *Quisquis Imperatorem aut Magistratum contumelia affecerit, supplicium luito : Et quidem si Clericus sit, deponitor : si Laicus, à communione remouetor.*

Legitur in Balsa. & Zon. ἱερατικὴν.

CANON 19. cau. 22. q. 5. *Si quis Laicus iuramentum violádo profanat,* Regi & Domino *iurat, & postea peruerse & dolose eius Regnum tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento* insidiatur, *quia sacrilegium peragit* in Christum Domini *manum mittens,* anathema sit. —— *Episcopus vero, Presbyter, Diaconus, si hoc crimen commiserit, degradetur.*

Augustinus.

Hieronymus. CANON 33. ca. 23. qu. 5. *Ipsis Principibus & Potestatibus* fidem & reuerentiam *seruari oportet, quam qui non exhibuerit, apud* DEVM *præmia inuenire non poterit.* Vnde idem Hieronymus.

Si apud carnales Dominos in minimis fideles fuerint, incipient apud DEVM *præmia maiora committi.* Ornat *autem* doctrinam Domini, *qui ea quæ condicioni suæ apta sunt, facit: vt è diuerso* confundit eam, *qui non est subiectus in omnibus.* ——— *Quomodo enim potest fidelis esse in substantia Dei, qui carnali Domino fidem exhibere non potuit?*

ÆGIDIVS VITERBIENSIS, Augustiniani Ordinis Generalis oratione habita in Cõciliogenerali Lateranensi. *Appello ergo te,* IVLI II. Pont. Max. *Summus ille te appellat* DEVS, *qui suam te gerere in terris vicem voluit, qui* ——— *dedit* ——— *vt* ——— *militiæ*, quod nemo antehac potuit, *Ecclesiæ arma magnis Regibus metuenda faceres? vt denique imperium propagares, vt Arimi-num, Fauentiam, Rauennam, & alia permulta recuperares. Quæ etsi eripere tibi hostis potest, quin tamen*, primus Pontificum hæc omnia gesseris, *efficere non potest. Magnorum enim Principum virtus non ex casu,*

aut ex euentu, sed ex consiliis actionibusque censenda est ——— ——— ——— *Ille inquam,* DEVS *petit mandatque, vt duo illa animo volutes, cures, perages, & quemadmodum Propheta iubet, destruas, euellas, eruas errores, luxum, vitia; instituas, ædifices, plantes, moderationem, virtutem, sanctimoniam. Adhæc vero agenda, cum alia permulta,* tum præcipue amissus exercitus *excitare nos debet: quod equidem putem* diuina prouidentia factum, *quo armis Ecclesiæ alienis freti cederemus, vt* ad nostra *redeuntes, victores euaderemus. Nostra autem arma sunt, pietas, religio, probitas, supplicationes, vota, lorica fidei atque arma lucis, vt Apostoli verbis vtar. Atque si Synodi opera redibimus, vt armis non nostris inferiores aliquo hoste fuimus; ita nostris, erimus omni hoste superiores. Veniat, quæso, in mentem Mosis bellum, quod aduersus Amelech regem gessit. Videbis populum Deo charum, gladius fidentem, vinci semper: contra semper vincere, precibus supplicantem. Iosue exercitum in prælium ducebat, Aaron Sacerdos cum Hur, ac Mose montem ascendebant: illi armato corpore ferebantur in hostem, hi* DEVM *purgato animo precabantur: illi ensibus, hi vo-*

tis agebant: illi ferro, hi pietate pugnabant. Vidimus vtraque arma, militiæ scilicet ac religionis. Sed iam quæ nostra sint, DEO
Ibid. *ostendente, cognoscamus. Dum Moses, inquit, manus attollebat, noster vincebat exercitus: dum manus remittebat, exercitus inclinabat. Ac, ne casu id factum suspiceemur, in ealce sermonis illius scribitur, aduersus Amelech, hoc est, in Ecclesiæ hostem,* DEI *manum ac bellum esse in generatione & generationem. Quibus quidem verbis monet* DEVS, vtramque generationem atque vtramque Ecclesiam & Mosis & Christi, *militiæ armis vinci,* pietatis studio vincere: *superari telis decertando, sacra faciendo superare. Fretâ initio suis armis Ecclesia, Africam cœpit, Europam obtinuit, Asiam occupauit nonvi, non bello, non ferro, sed* religionis actionibus & sanctitatis opinione *per vniuersum orbem Christiana signa circumtulit. At vbi sponsa, quæ tunc vndique vocabatur, accersebatur, expetebatur in vestitu deaurato, aureum paludamentum ardentis Spiritus, ferreis Aiacis insani armis commutauit,* Imperium duodecim Ducum partum sanguine, *amisit, Asiam & Hierusalem perdidit, Africam*

Ægyptumque relinquere coacta eſt; Europæ cum Byzantino Imperio & Græcia, bonam eripi ſibi partem vidit. Vox DEI *eſt dicentis, laſſis Moſis manibus, votis, precibuſque ceſſantibus, Ioſue vinci, vincere Amelech: ita & nos vidimus, cum Religio vota ferro commutauit, toto fere orbe pulſam, eiectam, exploſam Eccleſiam, aucto in immenſum Mahumete.*

L'ASSEMBLEE tenuë à Paris ſoubs le nom d'Eſtats en 1593. és Articles dreſſees ſur le Concile de Trente, apportez de la part du Cardinal de *Pelleué* par l'Abbé *d'Orbais*, & par luy mis és mains de *Venot* pour eſtre enregiſtrez & copie d'iceux baillee à chaſcun des Deputez; *Seſſ.* 25. *c.* 19. Le Concile excommunie & priue le Roy de la ville, ou lieu, auquel il aura permis vn duel. *Cet article eſt contre l'authorité du Roy, qui ne peut eſtre priué de ſon temporel ou partie d'iceluy, pour le regard duquel* il ne recognoit aulcun Superieur *quel qu'il ſoit.*

---

in Verb.

FALSAM.

S. PAVLVS ad Corinth. 2. cap. 10.
περὶ τῆς ἐξουσίας ἡμῶν, ἧς ἔδωκεν ὁ κύριος ἡμῖν εἰς οἰκοδομὴν καὶ

οὐκ εἰς καθαίρεσιν; *de potestate nostra quam dedit Dominus nobis in ædificationem* & non *in destructionem.* SANCTARELLVS tractatu de hæresi cap. 30. *Tertio probatur ex* 2. Corint. 10. ibi; *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum:* & in eod. cap. *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam,* &c. *Nam etsi amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem* & destructionem *vestram, non erubescam, ex quibus verbis* aperte colligitur *S. Paulum habuisse potestatem omnes fideles puniendi.*

ACTA in comitijs facultatis Theologiæ Parisiensis contra librum inscriptum, *Controuersia Anglicana de potestate Regis & Pontificis* & *cauctore Martino Becano.* habitis an. 1613. d. 1. Febr. *M. Nicolaus* DE PARIS, doctor eiusdem facultatis, *propositiones* (Becani) *ex interpretatione* falsa & erronea, *Dominos temporales iuribus suis iniuste spoliare.* ——— *M. Ioannes* FILESAC *etiam Doctor & Syndicus eiusdem Facultatis dixit se etiam legisse prædictum libellum, nec alium quidem à se pestilentiorem vnquam visum.*

in Verb.

ERRONEAM.

S. BERNARDVS de consideratione ad Eugenium lib. 3. cap. 4. edit. Antuerp. 1571. & Paris. an. 1586. *Erras, si Vt summam ita & solam institutam à* DEO, *Vestram Apostolicã potestatẽ existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait*, Non est potestas nisi à DEO.

CENSVRA lata in seditiosum librum, cui titulus. G.G.R. Admonitio, 26. Nou. 1626. *Sacras scripturas à sensu per Spiritum sanctum intento, malitiosè detorquentem, multaque contra Veram & sanam Ecclesiæ doctrinam, continentem.*

S. AVGVSTINVS in expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos. *Si quis putat, quoniam Christianus est, non sibi esse Vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum Potestatibus*, in magno errore *Versatur.*

in Verb.

VERBO DEI CONTRARIAM.

BECANVS Theologiæ scholasticæ parte secunda tomi posterioris tractatu 1. edit. Paris. apud Chapelet an. 1620. cum

approbatione Stephani *Charleti* prouincialis Soc. Iesu in prouincia Franciæ cap. 15. de pœnis hæreticorum quæst. 4. num. 3. *Nullum extat ius Diuinum in Veteri vel nouo Testamento, quo hæc pœna priuationis in hæreticos vel Infideles constituta sit;* Imo contrarium *ex vtroque colligitur. Nam ex Veteri constat Pharaonem, Nabuchodonosorem, Ieroboam, Achab, Antiochum & plures alios habuisse regna temporalia, & tamen fuisse Infideles vel Apostatas. Idem* ex Nouo *constat de Tyberio, Herode, Claudio, Lysia, Fælice, Festo & aliis, de quibus Apostolus ad Titum* 3. 1. Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire. *Et* 1. *Petri* 2. 13. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEVM, siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas DEI. *Et ibid.* v. 18. Non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.

S. BERNARDVS de consideratione ad Eugenium lib. 2. cap. 6. edit. Antuerp. an. 1571. & Paris. an. 1586. *Vox Domini est in Euangelio: Reges Gentium dominantur eorum. & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: & infert:* Vos autem non sic.

Luc. 22.

Planum est Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude aut dominans Apostolatum aut Apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohibeberis.

IDEM ibid. *Esto vt alia quacunque ratione hæc tibi vindices, sed non Apostolico iure. Nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit, solicitudinem, vt dixi, super Ecclesias. Nunquid dominationem? Audi ipsum:* Non dominantes, ait, in Cleris, sed forma facti gregis. *Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio, Reges gentium dominantur*, &c. 1. Petri 5.

IDEM de consideral. lib. 3. cap. 1. *Si pergis vsurpare & hanc,* contradicit tibi *qui dicit; Meus est orbis terræ & plenitudo eius. Non tu ille, de quo Propheta; Et erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat &* iure *creationis &* merito *redemptionis &* dono *Patris. Cui enim alteri dictum est; Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ? Possessionem & dominium cede huic, tu curam illius habe. Pars tua hæc, vltra ne extendas manum. Quid, inquis, non negas præesse,* & dominari *vetas? Plane sic.* Ps. 49. Psal. 2.

Quasi non bene præsit, qui præest in solicitudine. Nunquid non & villa villico, & paruus dominus subiectus est pædagogo? Nec tamen villæ ille, nec is sui domini dominus est. Ita & tu præsis vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues. Præsis vt prosis, præsis vt fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? vt des illis escam in tempore. Hoc est, vt dispenses, vt imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia. *At satis superque id intimatum supra, cum quis sis disputaretur. Addo tamen & hoc: nam nullum tibi venenum, nullum* gladium *plus formido, quam libidinem dominandi.*

Psal.118.

IDEM eod. lib. cap. 4. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non ait,* sublimiori, *tanquam in vno: sed* sublimioribus, *tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas à Domino: sunt & mediocres, sunt & inferiores. Et quomodo quos* DEVS *coniunxit, non sunt separandi: sic nec quos subiunxit, comparandi. Monstrum facis, si manu submouens digitum facis pendere de capite, superiorem manu brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas quam disposuit ipse.*

Rom. 13

S. CHRYSOSTOMVS in epist. S. Pauli ad Romanos hom. 23. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. *Etiamsi* Apostolus *sis*, *si* Euangelista, *si* Propheta, *siue quisquis tandem fueris.* *Neque enim pietatem subuertit ista subiectio. Et non simpliciter dicit, obediat*, sed *subdita sit.*

Ne dicerent fideles, attenuas nos contemptibilesque facis, qui cælorum regno potituri sumus, dum Principibus *subdit, ostendit quod hoc faciens, non principibus illos, sed Deo subijciat: illi siquidem obedit qui Principatibus subditus est. Sed ita non loquitur, nimirum quod Deo obediat, qui Principibus morem gerit, sed per contrarium terret, atque idem diligentius probat & exactius, dicens; quod* qui potestati obediens non fuerit, Deo aduersetur, *qui ista ita constituerit; Atque hoc vbique probare satagit, nimirum quod non gratiam illis, sed debitum obediendo præstemus.* Qui enim *ita se habuerit, is* & [a] *incredulos Magistratus magis ad pietatem attrahet*, & *fideles ad obedientiam.* Plurima *quippe tum temporis circumferebatur* fama *traducens Apostolos veluti seditiosos*, [b] *rerumque* nouatores *qui omnia ad euertendum* [c] *leges com-*

[a] Principum Infidelium & Hæreticorum cõuersionem impedientẽ.

[b] Subditos ab obediẽtia & subiectione auocantem & ad factiones, rebelliones, seditiones excitantẽ.

[c] Euersiuam Regnorum, statuum.

munes & facerent & dicerent. Cum itaque ostendit communem nostrum Dominum istud suis omnibus *præcipientem, & eorum qui Christianos innouationis crimine traducebant, obstruit ora, & maiore fiducia cum veritate sua dogmata tradit.*

Qua-propter oportet esse subditos non solum propter iram, verumetiam propter conscientiam. Quid est non solum propter iram? Non solum, inquit, quod DEO *non subditus* aduersaris, [d] *neque quod maxima tibi ipsi mala & à* DEO *& ab hominibus concitas: Sed quod in maximis tibi benefacit Magistratus, dum & pacem & administrationem politicam procurat. Nam innumera bona ciuitatibus* per Magistratus *proueniunt, quæ si sustuleris, omnia simul pessum ibunt;* [e] *itaut neque vrbes neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud consistere queant, sed omnia simul subuertantur, potentioribus imbecilliores impune deuorãtibus. Itaque etiamsi inobedientem nulla ira consequeretur, sic quoque tamen subiici té oportebat, ne conscientia carere videreris, atque erga beneficum ingratus.*

Ab antiquis temporibus communi omnium sententia Principes à nobis sustentari debere

[d] Verbo Dei contrariam.

[e] Pacis publicæ perturbatiuã, Regnorum, statuũ, rerumque publicarũ euersiuam.

debere visum est, ob id quod sua ipsorum negligentes communes res curant, vniuersumque suum otium ad ea impendunt, quibus non solum ipsi, sed & quæ nostra sunt, saluantur. Connumeratis itaque quæ ad externa pertinent, sermonem denuo ad priora reducit. Nam fidelem hoc pacto attrahere magis potuit. Rursus autem ostendit quod istud DEO [a] ita probetur, qua in re consilium etiam suum concludit, dicens; Siquidem Ministri Dei sunt. Deinde vt laborem miseriamque Magistratuum ostendat, subdit; In hoc ipsum incumbentes. Hæc enim illis est vita, hoc studium, vt tu quoquo modo pace [b] fruaris. Propterea & in alia epistola non solum exigit vt & illis subdamur, sed vt oremus pro illis, communem hanc quoque & illic vtilitatem ostendens ac dicens vt placidam & quietam vitam degamus. Neque enim parum nobis ad præsentis vitæ statum conducunt, munimenta ponentes, hostes propellentes, seditiosos in vrbibus cohibentes, quasuis vbique calamitates dissoluentes. Nolo siquidem mihi obijcias, quod subinde quis potestate hac abutitur: sed constitutionis ipsius decorum inspice, & multam eius, qui istam ab initio instituit, sapientiam videbis.

a Verbo Dei contrariam.

b Pacis publicæ perturbatiuã.

S. BASILIVS MAGNVS CAESAREÆ *Cappadociæ Archiepiſcopus*, tom. 2. conſtitutionum monaſticarum cap. 22. *Doceamus quam magna ea obedientia ſit, quam erga Antiſtites ſuos religionis veræ præſtare cultores debent. Eius magnitudinem non aliunde explicare adnitar quam ex ſacroſanctæ Scripturæ authoritate. Paulus Apoſtolus in ea epiſtola quam ad Romanos ſcribit, ipſis præcipit vt excellentioribus illi* Poteſtatibus omnibus *ſubiecti ſint. Poteſtatibus*, inquam, *mundi non ſpiritualibus: atque hoc ex his* quæ deinceps adiecit, *declarauit, cum de tributis & vectigali locutus eſt: quo in loco, qui vel* minimũ poteſtati reſiſtit, eum ait Deo ipſi *reſiſtere. Si igitur qui mundo huic præſunt & ex lege humana illam imperandi poteſtatem habuerunt, ijs* diuina lex pietatis cultores *tantopere voluit eſſe ſubiectos, & quod maius eſt, quorum vita tota tunc erat* impietas: *quam magna tandem ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui* à Deo conſtitutus *præſes ſit, &* imperandi poteſtatem à legibus illius *acceperit?*

S. AMBROSIVS in enarrat. in Pſalmum 50. Tibi ſoli peccaui. *Rex tamen tique erat, nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt,* Reges *à vinculis delictorum.* Neque enim

vllis ad pœnam *vocantur* legibus, *tuti Imperij potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius. Sed quamuis* tutus Imperio, *deuotione tamen ac fide erat* DEO *subditus; & legi eius subiectum se esse cognoscens, peccatum suum negare non poterat, sed quasi reus cum amaritudine fatebatur, qui sciret maioribus se vinculis teneri, quia maiora deberet: quoniam plus ab eo exigitur cui plus commissum.*

IDEM in Psalm. 118. octon. 17. *Sciens eius potentiam, qui hominem non timeret, ait;* Tibi soli peccaui. *Non potest hoc iustus negare, quia nemo sine peccato: Non potest Rex quia etsi leges in potestate habet, vt* impune delinquat, DEO *tamen subditus est* qui nulli debet: *imo plus ipse debet, cui plus commissum est.* 24. q. 1. c. est aliud. Matth. 17.

IDEM IN EVANGEL. LVCAE cap. 5. pag. 73. *Est & aliud Apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari Dominus iubet, dicens, Mitte hamum & eum piscem qui primus ascenderit, tolle. Magnum quidem est, & spiritale documentum, quo Christiani viri sublimioribus Potestatibus docentur debere esse subiecti,* ne quis *constitutionem Regis terreni* putet 11. qu. 1. cap. Magnū quidem Ro. 13 Matth. 17. Luc. 9.

esse soluendã. *Si enim censũ* Dei *filius soluit*, quis tu tantus es, *qui non putes esse soluendum. Et ille censum soluit qui nihil possidebat, tu autem qui seculi sequeris lucrum, cur* seculi obsequium *non recognoscas? Cur te* supra seculum *quadam animi* arrogantia *feras, cum seculo sis misera cupiditate subiectus?*

Idem in Epist. ad Rom. cap. 13. Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est enim potestas nisi à Deo. *Quoniam cælestis* iustitiæ *legem sequendam mandauit, ne ab hac* præsenti *dissimulare videretur, hanc quoque commendat: quippe cum* nisi hæc fuerit obseruata, illa custodiri non possit. *Hæc enim quasi pædagogus est quæ paruulos imbuit, vt possint* potioris iustitiæ *viam sequi. Nemini enim potest imputari misericordia, nisi habuerit iustitiam. Vt ergo ius* & timorem legis naturalis *confirmet* Deum auctorem eius *testatur, & ministrantes eam* Dei *ordinationem habere. Ideo adiecit.*

Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.

Nam qui principantur non sunt terrori bonis operibus, sed malis. *Vt nemo putet quasi humana commenta contemnenda.* Eccl.17. *Vident enim* ius diuinum humanis auctoritatibus *deputatum. Hic ergo subiectus est potestati, qui se terrore* DEI *ab ijs abstinet quæ prohibet.* Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. *Hoc contra illos qui per potentiam fortes sunt, aut* qui ab aliquo deprehendi se posse non credunt, *& per hoc illudere se legem putant. Ostendit his* DEI *esse legem & non euasuros iudicium* DEI, *qui ad tempus aliquo pacto euadunt.* Psal.93. Rom.9. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Manifestum est quia vnusquisque operibus suis aut iustificabitur aut condemnabitur. Qui enim audientes legem peccant, inexcusabiles sunt.* Matth. 12. Rom.2. Nam qui principantur non sunt terrori bonis operibus, sed malis. *Principes hos* Reges *dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa creantur,* DEI imaginem habentes, *vt* sub vno *sint cæteri.*

Paulo post. Ideoque subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Nam & idcirco tributa penditis. Ministri enim DEI

sunt, in hoc ipsum seruientes. *Recte dicit subiectos esse debere*, non solum *propter iram, id est vltionem præsentem (parit enim ira vindictam) sed & propter futurum iudicium: quia si hîc euaserint, illic eos* pœna *expectat vbi accusante cõscientia ipsa punientur.* Nam & idcirco tributa penditis.

Sap. 17. Ministri enim DEI sunt, in hoc ipsum seruientes. *Ideo dicit tributa præstari, vel*

Matth. 17. *quæ dicuntur* fiscalia, vt subiectionem præstent, *per quam sciant non se esse liberos, sed sub Potestate degere*, quæ ex DEO est.

Dan. 4. *Principi enim suo*, qui vicem DEI agit, sicut DEO *subijciuntur, sicut dicit Daniel Propheta*, DEI est, *inquit*, regnum, & cui vult dabit il

Matt. 22. lud. *Vnde & Dominus*, Reddite, *ait*, quæ sunt Cæsaris Cæsari. *Huic ergo subijciendi sunt, sicut* DEO, *cuius subiectionis probatio hæc est, quia illi pendunt tributa.*

S. AVGVSTINVS in exposit. quarumdam propositionum ex Epist. ad Romanos. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim Potestas nisi à DEO. *Rectissime admonet ne quis ex eo quod à Domino suo in libertatem vocatus est, factus Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere seruandum esse ordinem suum, vt Po-*

teſtatibus ſublimioribus, *quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt*, exiſtimet non ſe eſſe ſubdendum. *Cum enim conſtemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali ſumus, etiam rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ huius vitæ vtamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet* ſubditos eſſe poteſtatibus.

Paulo poſt. *Sed modus iſte ſeruandus eſt, quem Dominus ipſe præſcribit, vt reddamus Cæſari quæ Cæſaris ſunt, &* DEO *quæ* DEI *ſunt. Quamquam enim ad illud regnum vocemur, vbi nulla erit poteſtas huiuſmodi, in hoc tamen itinere dum agimus,* donec perueniamus *ad illud ſeculum, vbi ſit euacuatio omnis Principatus & Poteſtatis, conditionem noſtram pro ipſo rerum humanarum ordine toleremus,* nihil ſimulate facientes, *& in eo ipſo non tam hominibus* quam DEO, qui hæc iubet, *obtemperantes,*

S. HIERONIMVS in Eccleſiaſten. cap. 8. Ego os Regis cuſtodio, & loquelam iuramenti DEI. *Videtur mihi quidem præcipere iuxta Apoſtolum, Regibus & Poteſtatibus obſequendum: maxime 70. interpretibus imperatiuo modo dicentibus,* τόμα βασιλέως

φύλακον, *id est, os Regis custodi.*

IDEM in Epist. priorem ad Timoth. cap. 2. Orationes, postulationes, gratiarum actiones.] *Pro eo quod nos dignos fecit; etiam pro his* qui vos persequuntur *& tribulant.*

Pro omibus hominibus, pro Regibus &c.] *Vt cognoscant* DEVM; *sive vt subiectas habeant gentes. Illorum enim pace, tranquillitas nostra consistit: sed & si nobis Christianis sit persecutionis turbatio, omnis inquietudo cessabit.*

IDEM in epist. ad Titum cap. 3. Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes &c.] *Non solum ad bonos vel ad amicos.* Eramus enim aliquando & nos insipientes, &c.] *Ne desperent correctionem sua, opponit exemplum se: quia & nos fuimus, inquit, tales: debemus igitur patienter eorum insipientiam tolerare.*

GLOSSA ORDINARIA, ad hæc verba epist. ad Romanos, capite 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Secularibus, bonis vel malis. In hoc quod sublimes, id est, in mundanis: vel causa notatur, id est quia sublimiores sunt.*

ORIGENES hom. 6. in Esaiam. *Bonum est non prosilire ad eas quæ à* DEO *sunt dignitates, & mysteria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, & dicere cum eo, prouide alium quem mittas. Neque enim* ad Principatum Ecclesiæ *venit qui saluari vult, etsi præest, sed* ad seruitutem Ecclesiæ, *si oportet dicere & de Euangelio; Principes quidem gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in illis Magistratus vocantur: Non sic autem erit in vobis. Nec enim dominantur in vobis, sed qui vult vestrum esse maior, erit omnium minimus. Qui vult esse primus, erit omnium nouissimus. Qui vocatur ergo ad Episcopatum, non* ad Principatum *vocatur, sed* ad seruitutem *totius Ecclesiæ. Si vis credere* de Scripturis, *quia in Ecclesia seruus sit omnium qui præest, suadeat tibi ipse Saluator & Dominus, qui talis tantusque factus est in medio discipulorum, non quasi discumbens sed quasi ministrans.* —— *Audi vero &* Paulum *tam præclarum virum dicentem, quia seruus fuerit omnium credentium. Ego enim sum, ait, minimus Apostolorum non sum dignus vocari Apostolus, quia persequutus sum Ecclesiam* DEI. *Porro si hoc non videtur approbare seruitutem eius, sed tantum humilitatem, audi eum dicentem; Facti sumus*

Marc. 9

1. Cor. 15.

1. Thess. 2. *paruuli in medio vestrum ——— Imitatores ergo nos esse expedit humilium ipsius Domini* sermonum atque factorum *& Apostoli eius.*

IDEM in epist. ad Romanos cap. 13. lib. 9. DEI minister est: vindex in ira ei qui quod malum est agit. *Mouet me in his sermonibus Paulus, quod potestatem seculi & iudicium mundi* DEI *ministerium dicit: & hoc non semel, sed secundo & tertio repetit. Velim ergo requirere quomodo iudex mundi* DEI *minister sit.* ------ Omnia crimina *quæ vindicari vult* DEVS, *non per antistites & principes Ecclesiarum*, sed per mundi Iudices *voluit vindicari: et hoc sciens Paulus, recte eum ministrum* DEI *nominat & iudicem in eum qui quod malum est agit.* ------ Ideoque necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa penditis. Ministri enim DEI sunt in hoc ipsum instantes. *Ordinat quidem per hæc Paulus Ecclesiam* DEI, *vt nihil aduersi Principibus & Potestatibus sæculi gerens, per quietem & tranquillitatem vitæ, opus iustitiæ & pietatis exerceat. Si enim ponamus, verbi gratia, credentes Christo Potestatibus seculi non esse subditos, tributa*

non reddere, nec vectigalia pensitare, nulli timorem, nulli honorem deferre, nonne per hæc Rectorum & Principum merito in semetipsos arma *conuerterent, &* persecutores *quidem suos* excusabiles, *semetipsos vero* culpabiles *redderent.* Non enim iam fidei sed contumaciæ *causa impugnari viderentur: & esse eis causa quidem mortis, meritum* vero mortis indignum.

REGVM I. cap. 10. *Samuel dixit ad Saul; Ecce vnxit te* DOMINVS *super hæreditatem suam in Principem & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia vnxit te* DEVS *in principem.* v. 24. *Et ait Samuel ad omnem populum; Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo: Et clamauit omnis populus & ait; Viuat Rex.*

EIVSDEM libri cap. 24. v. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. *Dixit* (Dauid) *ad viros suos; Propitius sit mihi* DOMINVS, *ne faciam hanc rem Domino meo, Christo* DOMINI, *vt mittam manum meam in eum, quia Christus* DOMINI *est. Et confregit Dauid viros suos sermonibus & non permisit eis vt consurgerent in Saul: porro Saul exurgens de spe-*

lunca, pergebat cœpto itinere. Surrexit autem Dauid post eum; & egressus de spelunca clamauit post tergum Saul, dicens; Domine, mi Rex. Et respexit Saul post se, & inclinans se Dauid pronus in terram adorauit: Dixitque ad Saul; Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te. Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te DOMINVS *in manu mea in spelunca: & cogitaui vt occiderem te, sepepercit tibi oculus meus; dixi enim, Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus* DOMINI *est. Quin potius, pater mi, vide & cognosce oram clamydis tuæ in manu mea; quoniam cum præscinderem summitatem clamydis tuæ nolui extendere manum meam in te; anima aduerte & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te, tu autem insidiaris animæ meæ vt auferas eam. Iudicet* DOMINVS *inter me & te, & vlciscatur me* DOMINVS *ex te, manus autem mea non sit in te. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur; Ab impijs egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.*

EIVSDEM libri cap. 26. v. 6. & seqq. vsque ad 20. *Ait Dauid ad Abimelech He-*

thæum & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens; Quis descendet mecum ad Saul in castra? dixitque Abisai; Ego descendam tecum. Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte & inuenerunt Saul iacentem & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem & populum dormientes in circuitu eius. Dixit Abisai ad Dauid; Concluſit DEVS *inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundo opus nō erit. Et dixit Dauid ad Abisai;* Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? *Et dixit Dauid, viuit Dominus,* quia nisi DOMINVS percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit: *Propitius sit mihi* DOMINVS *ne extendam manum meam in Christum* DOMINI. *Nunc igitur tolle hastam quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus. Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: Et non erat quisquam qui videret & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia* sopor DOMINI irruerat *super eos. Cumque transisset Dauid ex aduerso & stetisset in*

vertice montis de longe, & esset grande interuallum inter eos. Clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens; Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait; Quis es tu qui clamas & inquietas Regem? Et ait Dauid ad Abner: nunquid non vir tu es? Et quis alius similis tui in Israël? quare ergo non custodisti Dominum tuum Regem? ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret Regem, dominum tuum. Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit DOMINVS, *quoniam* filij mortis estis vos, *qui non custodistis Dominum vestrum, Christum* DOMINI: *nunc ergo vide vbi sit hasta Regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit; Nunquid vox hæc tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid; vox mea, domine mi Rex: Et ait, quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum? quid feci? aut quod est malum in manu mea? Nunc ergo audi oro, Domine mi Rex, verba serui tui: Si* DOMINVS *incitat te aduersum me,* odoretur sacrificium: *si autem filij hominum,* maledicti sunt in conspectu Domini, *qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes; Vade, serui dijs alienis. Et nunc non effundatur sanguis*

meus in terram coram Domino, quia egressus est Rex Israel vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus. Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: *apparet enim quod stulte egerim, & ignorauerim multa nimis. Et respondens Dauid ait; Ecce hasta Regis, transeat vnus de pueris Regis & tollat eam.* DOMINVS *autem retribuet vnicuique secundum iustitiã suam & fidem: Tradidit enim te* DOMINVS *hodie in manum meam*, & nolui extendere manum meam in Christum DOMINI. *Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis* DOMINI, *& liberet me de omni angustia.*

Iob cap. 12. v. 9. 18. 19. 20. 21. & 25. *Quis ignorat quod omnia hæc manus* DOMINI *fecerit? Balteum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios & optimates supplantat. Commutans labium veracium & doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super* Principes, eos, *qui oppressi fuerant, releuans. Immutat cor* Principum *populi terræ & decipit eos vt frustra incedant per inuium.*

IDEM cap. 34. v. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* v. 18. *Qui dicit Regi, Apostata: qui vocat duces, impios.*

PROVERBIORVM cap. 8. v. 15. & 16. *Per me* Reges *regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me* Principes *imperant, & potentes decernunt iustitiam.*

DANIEL cap. 4. v. 28. *Vox de cælo ruit, Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eijcient te & cum bestijs & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod* dominatur excelsus in regno hominum, & cuicumq; voluerit, dat illud. *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius, potestas sempiterna & regnum eius in genera-*

generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ: *& non est qui resistat manui eius, & dicat ei: quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni, & figura mea reuersa est ad me*, & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum: *& magnificentia amplior addita est mihi.*

OZEE cap. 13. v. 11. *Dabo tibi Regem in furore meo & auferam in indignatione mea.*

EVANGEL. S. MATTHAEI capit. 10. v. 23. & 28. *Cum persequentur vos, in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israël, donec veniat Filius hominis. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

CAP. 22. v. 17. 18. 19. 20. 21. *Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi*

numiſma cenſus: At illi obtulerunt ei denarium, & ait Ieſus, illis: Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

CAP. 26. V. 50.51.52.53. *Tunc acceſſerunt & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum; & ecce vnus ex his qui erant cum Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum & percutiens ſeruum principis Sacerdotum amputauit auriculam eius, Tunc ait illi Ieſus: Conuerte gladium tuum in locum ſuum:* Omnes *enim qui acceperint gladium*, gladio peribunt. *An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo* pluſquam duodecim legiones *Angelorum.*

EVANGEL. S. LVCAE cap. 22. v. 25. & 26. *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.*

EVANGEL. S. IOANNIS cap. 18. v. 5. 36. *Reſpondit Ieſus, Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt*

S. Pavlvs Epist. ad Rom. cap. 13. v. 1. 2. 5. 6. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: Ideo enim tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.*

S. Petrvs Epist. 1. Cap. 2. v. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti; Siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quasi liberi, & non quasi velamen habentes militiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Regem honorificate, serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam, sustinet quis tristitias, patiens iniustè, quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis. Sed si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis,*

vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

CAP. 5. V. 2. & 3. *Pascite qui in vobis est gregem* Dei, *prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum* Deum, *neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

---

in Verb.

PONTIFICIAE DIGNITATI ODIVM CONCILIANTEM.

CENSVRA lata in seditiosum librum, *cui titulus G. G. R. Admonitio,* die 26. Nouem. 1625. *Incredibili astu & calliditate scriptum in summum Pontificem.*

S. BERNARDVS de consideratione ad Eugenium lib. 2. cap. 6. *Si vtrumque similiter habere voles, perdes vtrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de*

Osee 8. *quibus queritur* DEVS *sic; Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt & non cognoui eos. Iam si regnare sine* DEO *iuuat, habes gloriam, sed non apud* DEVM.

Luc. 22. *At si Interdictum tenemus, audiamus Edictum; Qui maior est vestrum, sit, fiat sicut iunior: & qui*

præcessor est, sicut qui ministrat. Forma Apostolica hæc est; dominatio interdicitur, *indicitur ministratio. Quæ & commendatur ipsius exemplo* Legislatoris, *qui sequutus adiungit; Ego autem in medio vestrum sum tanquam qui ministrat. Quis se iam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriæ præsigniuit?* ---------- *Accingere gladio tuo,* gladio Spiritus, *quod est verbum* DEI. Ibid.

S. AMBROSIVS in Euangel. Lucæ cap. 22. pag. 210. *O Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferre me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? Nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse? Lex tamen referire non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti,* sat est, *dicis, quasi licuerit vsque ad Euangelium: vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, sed non iniquus Dominus, qui cum se posset vlcisci, maluit immolari.* Est enim gladius spiritalis, *vt vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam* gladius passionis, *vt exuas corpus & immolatæ carnis exuuijs ematur tibi sacri corona martyrij quod ex benedictionibus dominicis colligere potes, qui*

ſummam omnium coronarum, ſi quis perſecutionem patiatur pro iuſtitia, prædicauit. Denique vt ſcias quia de paſſione loquutus eſt, ne turbaret diſcipulorum animos, de ſe exemplũ *protulit, dicens; Quoniam hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri de me, quod & cum iniuſtis deputatus eſt. Mouet tamen adhuc, quod duos gladios diſcipuli protulerunt, num forte vnum* noui, alterum veteris *intelligamus* Teſtamenti *quibus aduerſus diaboli armamur inſidias. Denique dicat Dominus,* ſat eſt, *quia ſic nihil deſit ei quem vtriuſque* Teſtamenti doctrina *munierit.*

S. BERNARDVS eiuſdem conſiderationis lib. 4. cap. 3. *In his ſucceſſiſti non* Petro, *ſed* Conſtantino ----- *Ad ea te potius incito, quorum te ſcio debitorem. Etſi* purpuratus, etſi deauratus *incedens, non eſt tamen quod horreas operam curam ve paſtoralem paſtoris hæres, non eſt quod erubeſcas Euangelium.* ----- *Euangelizare, paſcere eſt. Fac opus Euangeliſtæ & paſtoris opus impleſti. Dracones, inquis, me mones paſcere & ſcorpiones, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, ſed* VERBO *non* FERRO.

S. PETRVS Ep. 1. c. 4. Μή τις ὑμῶν πασχέτω ὡς ἀλλοτριεπίσκοπος. *Nemo veſtrum patiatur vt alie-*

narum rerum appetitor, Vt allotrio-episcopus.

Fr. Dvarenvs lib. de sacris Ecclesiæ ministerijs, edit. Paris. 1564. cum priuilegio Regis & decreto Curiæ Parlamenti Parisiensis, cap. 8. *Ego certe neminem paulo saniorem eruditioremque hoc tempore esse arbitror,* cui inceptum illud Bonifacij *probari possit. Ac maxime* verendum est si tales esse pergant reliqui, *ne D. Bernardi* vaticinium *tandem Verum esse comperiamus, qui ad Eugenium pontificem Romanum scribens de Vtroque gladio:* vtrumque, *inquit,* habere si voles, vtrumque perdes. Lib. 2. de consid. ad Eugenium.

Traditum est in Meroe, Iouis sacerdotes adeo superstitione implesse animos, Vt nonnunquam misso nuntio necem Regi *Aethiopiæ demandarent,* nullo detrectante *aut mandatum iussionem Ve abnegante, donec ad Erganem Regem peruentum est, qui omnes occidit & sacerdotium sustulit.* Ex Strabone lib. 17. Geogr. pag. 822 edit. Paris. 1620

Gvillelmvs Dvrandvs speculator de modo generalis concilij celebrandi, Rubrica de excessu. fol. 17. *Prouerbium Vulgare est,* qui totum vult, totum perdit. *Ecclesia Romana sibi Vendicat Vniuersa, 93. dist. diaconi sunt. Vnde* timendum est *quod Vniuersa perdat: Nam sicut Salomon ait Prouerb. 30. Qui multum emungit, sanguinem elicit,* 4.

dist. denique. Sicut *habetur* exemplum de Ecclesia Græcorum *quod ex hoc ab Ecclesiæ Romanæ obedientia dicitur recessisse: Nam ex hoc in 6. c. Niceni concilij statutum est, vt honor vnicuique Ecclesiæ seruetur. 65. dist. mos antiquus.*

---

in verb.

SCHISMATI OCCASIONEM PRAEBENTEM

ACTA in comitijs facultatis Theologiæ Parisiensis contra librum inscriptum, *Controuersia Anglicana*, &c. *auctore Martino Becano*, habitis die 1. Febr. M. Nicolaus DE PARIS doctor eiusdem Facultatis, *propositiones* (Becani) *inducere periculosa schismata.*

ORIGENES. *Dogmatum* dissensio, *erit causa cur mutuo se odio prosequantur in fine Mundi homines & inuicem tradant: Et pauci erunt veritatem inuestigantes: Saluabitur autem qui potuerit manere in primo Apostolicæ traditionis & Ecclesiasticæ inductionis proposito.*

§. AVGVSTINVS lib. 3. contra Parme-

nianum cap. 2. *Hoc ſanitas obſeruat Eccleſiæ, vt cum quiſque fratrum, id eſt Chriſtianorum, intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi* periculum ſchiſmatis nullum eſt: 2. Theſſ. 3. *atque id cum ea dilectione fiat, de qua ipſe Apoſtolus alibi præcipit, dicens, vt inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem.* ----- *In qua tanto eſt efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior conſeruatio caritatis. Tunc autem hoc* ſine labe pacis & vnitatis & ſine læſione frumentorum *fieri poteſt, cum congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena eſt. Nec enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio*, niſi cum ille *corripitur* qui non habet ſociam multitudinem. *Cum vero idem morbus plurimos occupauerit*, nihil aliud *bonis reſtat* quam dolor & gemitus; *vt per illud ſignum quod Ezechieli ſancto reuelatum* Ezech. cap. 9. *eſt, illæſi euadere ab illorum vaſtatione mereantur. Si quis enim frater in aliquo cæteris diſſimili crimine nominatur, & reuera ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt. Nam* conſilia ſeparationis & *inania ſunt*

& pernicioſa atque ſacrilega *quia &* impia & ſuperba *fiunt, & plus turbant infirmos bonos, quam corrigunt animoſos malos.*

DIRECTORIVM INQVISITORVM 3. part. quæſt. 31. *An Inquiſitor poſsit procedere contra Reges & omnes laicos indiſtinctè. Reſpondemus quod ſic. ----- Conſulerem tamen vt contra Reges & Regales perſonas* publicè *non procederent Inquiſitores; ſed vt* cautius & tutius negotium fidei *poſsit agi, informaretur primitus Dominus noſter Papa, vt procederetur eius conſilio & mandato, &* ſecundum modum, *quem ipſe decreuerit obſeruandum.*

COMMENT. *In viros potentes & illuſtres ideo non inquirunt,* ne ob id ſcãdalum oriatur. ---- *Viros autem Regales, vocat hic Eymericus, vel Regulos, quales ſunt Duces, Marchiones, & ſimiles, vel eos qui Regibus adſtant vt Conſiliarios & Senatores, vel denique potentes, Barones cuiuſlibet Ciuitatis, quos velut patronos* multi tum Nobiles, tum Plebeij *ſequuntur in omnibus fermè ciuitatibus.: vel denique intelligere poteſt per viros Regales, Ciuitatum Magiſtratus, vt Gubernatores, Poteſtates, Conſules, & ſimiles: In hos enim* ſi publice *vellent Inquiſitores animaduertere* facile impedirentur *præſertim in locis ſuſpectis.*

in verb.

SVPREMAE REGVM AVCTORITATI A DEO SOLO DEPENDENTI DEROGANTEM.

M. Andreas DVVALLIVS, doctor Sorbonicus in libro de suprema Romani Pōtificis in Ecclesiam potestate. edit. Paris. apud Langlæum 1614. cum approbatione doctorū G. FROGER. & F. ROCHE. Quæst. 3. pag. 91. *Reges isti* (Reges Galliæ, p. 90.) *quod res ciuiles & administrationem Regni* à nullo quam à DEO *dependent*, neque vlli alteri *de factis suis rationem reddere tenentur.*

IDEM eiusd. lib. par. 4. pag. 628. *Solus Rex Philippus Pulcher, cum tribus Galliæ Ordinibus prouocauit, non quidem ad Concilium ---- sed tanquam ab abusu, vt synchroni scriptores testantur: vel, vt aiunt nonnulli ad DEVM à quo* solo sceptrum regni *Gallici habebat, appellauit.*

IDEM in Libelli de Ecclesiastica & politica potestate Elencho, edito Paris. apud Iacquin. 1612. pag. 150. & 151. *Regis nostri* regnum *atque dominium* omnino independens *& absolutum, nulloque modo precarium,*

neque aliter *quam per* DEI *gratiam, mediante paterna succeßione quæsitum.*

M. Michael MAVCLERVS, doctor Sorbonicus in lib. de Monarchia diuina, ecclesiastica & sæculari Christiana. edit. Paris. apud Cramoisy an. 1622. tertiæ partis lib. 1. pag. 1022. *Propter Maiestatis Imperatoriæ sublimitatem à* DEO *traditam, Imperator in temporalibus* super omnes *est, nullumque,* excepto DEO, *superiorem agnoscit. qui eum iudicet, cum errauerit.* Super Imperatorem non est nisi solus DEVS, qui fecit Imperatorem, *inquit Optatus lib. 3. contra Parmenian. Proinde ex Synodo Regiaticina sub Lothario Imperatore & Ludouico Rege c. 16.* Imperatores ac Principes summi minime nunc iudicantur, sed in futuro iudicio à DEO.

IDEM, 3. partis lib. 7. col. 1500. *De quibus* Authores *grauißimi & de meliori nota* Doctores vtriusque iuris *magnifice loquuntur, vt veritatis congruentia deposcit, modo Regem Franciæ in suo regno Imperatorem nominant, modo stellam matutinam in medio nebulæ meridionalis, modo corporalem Deum in regno suo qui lege intellectus regitur, modo polum antarcticum, qui superiorem se præter*

DEVM, *neminem in temporalibus agnoscit, neque de* iure, *neque de* facto.

IDEM, 3. partis lib. 8. col. 1610. *Quinimo sanctissimi omnium fidelium Patres, sedis Apostolicæ præsules, in pias Gallicanæ Ecclesiæ professiones, de* summo *in temporalibus, Regibus Francorum* honore *soluendo consentientes, ipsis* summum Imperium *quoad temporalia in Regno suo* nusquam *denegarunt.*

S. AVGVSTINVS de ciuitate Dei lib. 5. cap. 21. edit. Paris. an. 1586. *Non tribuamus dandi Regni atque Imperij potestatem,* nisi DEO VERO, *qui dat fœlicitatem regnum cœlorum solis pijs: regnum vero terrenum &* pijs & impijs, *sicut illi placet, cui nihil iniuste placet.* ——— *Qui Mario, Caio Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: Et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano.*

IDEM Psalm. 149. pag. 716. *Venit* DEVS *Christus prodesse omnibus: sed elegit prodesse* Imperatori *de Piscatore, non* Piscatori *de Imperatore: & elegit ea quæ nullius momenti erant in mundo. Ipsos impleuit*

Spiritu ſancto, dedit eis frameas bis acutas (vetus & nouum Teſtamentum pag. præcedenti) *prædicare præcepit Euangelium, & ire per totum orbem terrarum. Fremuit mundus: erexit ſe Leo aduerſus agnum, ſed fortior Leone inuentus eſt Agnus. Leo victus eſt ſæuiendo, Agnus vicit patiendo.* ——— *Pauper homo etſi non timeat* DEVM, *quia nullarum virum eſt, nullarum facultatum, ne cum ſe commouerit, in ſupplicium rapiatur, ceſſat timore hominis, etſi non* DEI. *Potentes autem mundi,* Reges niſi DEVM *timeant, quid timebunt?*

S. BERNARDVS Epiſt. 139. Lothario Dei gratia Romano Imperatori Auguſto. *Non eſt meum hortari ad pugnam: eſt tamen (ſecurus dico) Aduocati Eccleſiæ arcere ab Eccleſiæ infeſtatione ſchiſmaticorum rabiem, eſt Cæſaris propriam vindicare coronam, ab vſurpatore Siculo. Vt enim conſtat Iudaicam ſobolem, ſedem Petri in Chriſti occupaſſe iniuriam: ſic procul dubio omnis qui in Sicilia Regem ſe facit,* contradicit *Cæſari. Si autem* vtrumque incumbit Cæſari, *reſtituere ſcilicet Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt* DEI DEO, *cur apud Tullum res* DEI *minuitur, cum Cæſar nihil ibi lucretur, verendum*

est ne minimorum neglectus, impedimentum sit maximorum.

---

in verb.

PRINCIPIVM INFIDELIVM ET HAERETICORVM CONVERSIONEM IMPEDIENTEM.

CENSVRA lata die 4. Iunij 1610. *Tam pestifera dogmata hodie in causa esse, vt qui decessionem ab Ecclesia Catholica & Romana fecerunt in suo errore obdurescant, viros que Religiosos, Doctores & Prælatos Catholicos, quanquam insontes, quasi talia docerent, vel auctorarent, fugiant ac detestentur.*

CENSVRA lata in seditiosum librum, cui titulus, *G. G. R. Admonitio*, 26. Nou. 1625. *Charitati Christianæ impiè repugnantem.*

S. BERNARDVS de consideral. ad Eugenium lib. 3. cap. 1. *Nullum genus insipientiæ*, Infidelitate (*vt sic loquar*) *insipientius. Ergo & infidelibus debitor es, Iudæis, Græcis, & Gentibus. Interest proinde tua dare operam quam possis, vt increduli conuertantur ad fidem, conuersi non auertantur, auersi reuertantur: porro peruersi ordinentur ad rectitu-*

dinem, ſubuerſi ad veritatem reuocentur: ſubuerſores inuictis rationibus *conuincantur, vt vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt, vel ſi non, perdant auctoritatem facultatemque alios ſubuertendi.* ——— *Qua fiducia, qua conſcientia, Chriſtum non vel offerimus eis qui non habent? An* veritatem Dei in iniuſtitia *detinemus?* ——— *Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiſcum ſunt, & nobiſcum non ſunt: iuncti fide, pace diuiſi: quanquam & in fide ipſa claudicauerint à ſemitis rectis. Et item* de Hæreſi, *quæ clam penè vbique ſerpit apud aliquos, ſæuit palam: Nam paruulos Eccleſiæ paſſim & publicè deglutire feſtinat. Quæris vbi ſit hoc? veſtri qui terram Auſtri tam ſæpe viſitant, ecce hi ſciunt & poſſunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum, aut tranſeunt ſecus: ſed* quid boni *adhuc cum illis egerint, necdum audiuimus. Et forſitan audiuiſſemus, niſi præ auro Hiſpaniæ ſalus populi vili uiſſet. Tuum eſt & plagæ huic remedium prouidere.. Sed eſt inſipientia, quæ ipſam quoque iam propemodum ſtultam fecit ſapientiam fidei. Quomodo & Eccleſiam Catholicam pene totam hoc virus infecit? Nam dum & in ipſa quoque quæ noſtra ſunt quærimus, fit vt inuicem inuidentes, inuicem prouocantes exerceamur*

ceamur ad odia. ----- O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil moleſtius inquietat, nihil tamen apud miſeros mortales celebrius negotijs eius. An non limina Apoſtolorum plus iam ambitio quam deuotio terit? ----- Aliud eſt quod ab oppreſsis appellatur ad te, aliud autem quod ambitio in Eccleſia per te regnare molitur.

S. AMBROSIVS in commentario in Epiſtolam ad Titum cap. 3. *Oſtendentes omnem manſuetudinem ad omnes homines.* Chriſtianos *omnibus hominibus* humiles vult videri: *ſic enim poſſunt* perfidi ad futuram ſpem *vocari.*

IDEM in epiſt. ad Rom. cap. 13. *Cui honorem, honorem. Poteſt hic honor etiam circa eos eſſe qui ſublimes videntur in mundo, vt videntes humilitatem ſeruorum Chriſti, laudent magis quam vituperent Euangelicam diſciplinam.* 1. Pet. 2.

S. CHRYSOSTOMVS in epiſt. 1. ad Timoth. cap. 1. homil. 6. edit. Pariſ. apud Odoenum Paruum 1546. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes & orationes. *Duo hinc præcipua oriuntur bona, quod odium omne deponimus. Nemo enim*

aduersus eum inimico esse animo potest, pro quo obsecrationes facit, & illi ipsi meliores fiunt. Nihil *enim ita doctrinam commendat*, nihil *magis eius vires insinuat, quam huiusmodi charitas. Considera denique cuiusmodi sit eos diligere qui insidias appetunt, qui flagellant, qui vndique exagitant, qui denique* necant, *dum hi qui ista patiuntur, DEVM pro his ipsis, qui se ita afficiunt, intentissimis orationibus pulsant. Vides vt superiorem omnibus Christianum euadere velit? Quemadmodum enim in infantibus pueris, cum is qui à patre portatur, infantulus patris ceciderit faciem, nihil ex hoc obtundetur dilectionis affectus: ita & nos*, cum ab his *qui extra sunt*, cædimur, *nihil ex priore beneuolentia, remittere omnino debemus.*

S. CHRYSOSTOMVS homil. 23. in Epist. S. PAVLI ad Rom. Et quomodo cum supra dixerit, *Vis non timere Potestatem? fac quod bonum est*, hic dicit, *Reddite timorem*? Imperialem honorem dicit, non enim timorem qui ex mala conscientia est, quem supra significauerat. Et non dicit *date*, sed, *reddite*: Et adiecit, *quod debetur.* Nihil enim gratuitò dat: qui hoc fecerit. Debitum siquidem est res ista. Quod si

non feceris, *perfidi pœnas* dabis. Neque sanæ putes *Christianæ philosophiæ dignitatem* extenuari ac lædi, si præsente Principe honoris gratia exsurrexeris, siue caput detexeris. Si enim ista Paulus tum cum *Gentiles* adhuc essent *Principes*, *præcepit*, multo magis oportet ea *fidelibus* exhibere. Quod si maiora tibi esse concredita dixeris, disce non nunc honoris tui tempus esse. Peregrinus enim hic es & aduena. Tempus erit quo *omnibus* apparebis *illustrior*. Nunc vero vita tua, abscondita est cum Christo in DEO. Quando Christus apparuerit, tunc & vos comparebitis in gloria. Ne quæras ergo in præsenti hac fragili vita retributionem. Sed etiamsi cum timore vt te Principi sistas opus sit, non putes ex eo cognationem tuam dehonestari. DEVS enim *ita exigit*, vt creatus ab eo *Princeps vires suas habeat*. Quod si enim qui nihil mali sibi conscius est, cum timore apud Iudicem comparet; multo magis qui male facit ab eo terrebitur: tu vero eo *eris illustrior*. Neque enim *extenuatio* ex eo est, quod Principi honorem suum red-

Pontificiæ dignitati odium conciliantem. Verbo Dei contrariam.

Pontificiæ dignitati odium conciliantem.

Princi-pum in-fidelis & hæreticoru conuer-sionem impe-dien-tem.

dis, sed magis *ex eo quod illum negligendo contemnis.* Et ipse *Princeps eo te magis susci-piet.* Dominúmque tuum, *etiamsi in-credulus* fuerit, hoc nomine glorifica-bit.

S. AVGVSTINVS in expositi. quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos. Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex ea. *Potest mouere ali-quos cum cogitauerint ab istis Potestatibus per-secutionem passos fuisse Christianos. Num-quid ergo non faciebant bonum, quia non solum non sunt laudati ab istis Potestatibus, sed & pœnis affecti & necati sunt? Consideranda er-go sunt verba Apostoli. Non enim, ait bonum fac & laudabit te potestas, sed ait, Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Siue enim pro-bet factum tuum bonum, siue persequatur, lau-dem habebis ex illa: vel* cum eam in obse-quium DEI lucratus fueris, *vel cum eius persecutione coronam merueris. Hoc etiam in consequentibus intelligitur, cum dicit,* DEI enim minister tibi est in bonum, *etiamsi sibi in malum. Quod autem ait,* Ideoque necessi-tate subditi estote; *ad hoc valet vt intelliga-mus, quia* necesse est *propter hanc vitam,* sub-

Rom. 13.

ditos nos esse oportere, *non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quo sibi potestas data est, de temporalibus rebus; quæ quoniam transeunt, ideo & ista subiectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori, constituenda est. Tamen quoniam dixit,* Necessitate subditi estote, *ne quis non integro animo & pura dilectione subditus fieret huiusmodi Potestatibus, addidit, dicens,* Non solum propter iram sed & propter conscientiam, *id est, non solum ad iram euadendam, quod potest etiam* simulate *fieri, sed vt in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere cui subditus fueris iussu Domini tui,* qui omnes vult saluos fieri & in agnitionem veritatis venire: *Et* hoc *enim cum diceret Apostolus* de ipsis Potestatibus *aiebat. Hoc est quod seruis alio loco suadet,* Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; *vt idipsum quod subduntur dominis suis, non eos oderint, aut* fallacijs *promereri desiderent.*

in Verb.

PACIS PVBLICAE PERTVRBATIVAM.

S. AMBROSIVS in commentario in epist. 1. ad Timoth. cap. 2. *Hæc regula Ecclesiastica est tradita à magistro gentium, qua Vtuntur Sacerdotes nostri, Vt pro omnibus supplicent, deprecantes* pro Regibus huius sæculi, *Vt subiectas habeant gentes,* Vt in pace positi, *in tranquillitate mentis & quiete seruire* DEO *nostro possimus. Orantes etiam pro ijs quibus sublimis potestas est credita, Vt in iustitia & Veritate gubernent rempublicam, subpeditante rerum abundantia,* Vt amota perturbatione seditionis, *succedat lætitia.* Rom. 13

S. CHRYSOSTOMVS in Epist. S. Pauli ad Timoth. 1. cap. 2. homil. 6. *Sed forte quis dixerit* pro omnibus *quod ait, tantum Fideles intelligi Voluisse. At id Verum non esse, quæ sequuntur ostendunt. Denique ait* pro Regibus: *neque enim tunc Reges* DEVM *colebant, verum multis postea temporibus* in infidelitate, *quam per seriem successionis acceperant, perstiterunt. Denique Vt omnis assentationis suspicio tolleretur, quũ præmisisset,* pro om-

nibus; *tunc demum*, pro Regibus, *addidit*. *Si enim tantum* pro Regibus *dixisset*, *fortassis non deesset qui adulationis gratia illum ita scripsisse putaret. Quoniam vero consequēs esse cernebat, vt Christiani animus ad ista torpesceret, neque huiusmodi admitteret monita, siquidem pro Gentili Sacramentorum tempore preces oporteret offerri, vide quid sequutus adiunxit, vt ex consideratione lucri admonitionem facilius libentiusque susciperent.* Vt quietam, *inquit*, & tranquillam degamus vitam: *Ac si dicat, in illorum salute securitas nostra consistit. Quemadmodum & in Epistola ad Romanos, quum eos hortaretur obedire Principibus ait*; Non propter necessitatem, sed propter conscientiam. DEVS *enim pro vtilitate communi huiusmodi Principatus instituit. Quam igitur absurdum est, quum illi idcirco militent & arma circumferant, vt nos* in tranquillitate atque otio simus, *nos pro periclitantibus ac nostri causa labores subeuntibus, preces effundere detrectemus. Non igitur assentandi gratia huiusmodi mandatum dedit, verum iustitiæ seruauit Leges: nisi enim illi seruarentur, atque inter bella & hostes prospere agerent, necessario & nostra omnia turbis tumultibusque*

Supremæ Regum authoritati à Deo, solo dependenti, derogantem.

plena essent. Namnos aut militare opus fuisset ac per nosmetipsos eadem subire pericula concisis illis, aut fugere vagosque per orbem terrarum ferri. Sunt enim, inquit, huiusmodi velut obices *quidam* hostibus oppositi, *per quos nos in pace seruemur.*

GLOSSA ORDINARIA 1. ad Timoth. cap. 2. Pro Regibus; *& si mali.* Pro omnibus; *Ducibus, Comitibus.* Qui in sublimitate sunt constituti; *Quia ex omni genere colligenda est Ecclesia, etiam de his qui fastu & superbia seculari à fide & humilitate videntur aberrare, quod & nobis proderit.* Vt quietam & tranquillam vitam agamus. *Vtimur & nos pace Babylonis.*

Pro omnibus hominibus. *Vt sequamur clementiam* DEI, *quia* DEVS *vult omnes homines saluos fieri, etsi secundum iustitiam quosdam reprobet. Vnde Hieronymus, in his qui pereunt, ostendit iudicium;* in saluatis, misericordiam. Vt quietam; *à persecutione.* Tranquillam; *sine inquietatione, quod prodest* teneris *Ecclesiæ.* Vt quietam, &c. *Augustinus, nam vtimur & nos pace Babylonis; quamdiu permixtæ sunt ambæ ciuitates, scilicet Hierusalem & Babylonia: ex qua ita per fidem populus* DEI *liberatur, vt apud eam interim*

peregrinetur. Ideo Apostolus admonuit Ecclesiam, orare pro Regibus & omnibus sublimibus, *eodem Spiritu sancto afflatus quo &* Hieremias, *qui misit Epistolã Iudæis qui erant in Babylone, vt orarent pro vita Nabuchodonosor filiorumque eius & pro pace ciuitatis, inquiens*, Quia in pace eorum erit *pax vestra.* Vt quietam. *In pace* Principum *qui-es & regimen seruatur* Ecclesiarum : *Nam in bellis tranquillitas dissipatur; tepescit pietas; districtio soluitur; qua soluta, infirmorũ castitas violatur. In pace Babylonis pax nostra est vtiq; corporalis, quæ bonis & malis communis est dum inter Babylonios tenemur captiui, quibus seruire iubemur & tributa reddere.* Hier. 23

In verb.

REGNORVM STATVVM, RERVMQVE PVBLICARVM EVERSIVAM.

F. N. COEFFETEAV Docteur en Theologie en sa Resconce à l'Aduertissement du Ser. Roy de la grand' Bretagne, pag. 6. *C'est chose certaine que si le Pape vouloit enuahir les Royaumes, & les donner en proye à qui il luy plairoit en despouil-*

lant les vrais poſſeſſeurs, il meriteroit que les Princes ſe roidiſſants contre ſa violence, luy couruſſent ſus, comme au voleur de leurs heritages.

In censvra lata die 13. Decembris 1413. dicitur. *In ſubuerſionem totius Reipublicæ & vniuſcuiuſque Regis aut Principis.*

S. Chrisostomvs hom. 23. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit. *Huius rei plurimum & in alijs Epiſtolis meminit, quemadmodũ famulos heris ſuis, ita & ſubditos Principibus ſubijciens. Facit autem hoc ideo vt oſtendat Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe vt politias euertat.*

In verb.

Svbditos ab obedientia et svbiectione avocantem.

Censvra lata in librum, *cui titulus, G.G.R. Admonitio*, 26. Nou. 1625. *Regibus & poteſtatibus ſæculi exhibendæ à fidelibus fidei, obſequio, honori, impie repugnantem.* Et in præfatione eiuſdem; *Ponit ſigna ſua ſigna, quaſi in exitu ſuper ſummum ad diuellendos* ſubditos *à ſinu Regis parentis optimi*

& à fideli propensione animi & obnoxietate *erga illum Dominum suum, cui arctissima naturæ &* conscientiæ lege diuina *tenentur inhærere.*

CENSVRA lata die 13. Dec. 1413. *Dat viam & licentiam ad fraudes & violationes fidei & iuramenti & ad proditiones, & generaliter* ad omnem inobedientiam subiecti *ad Dominum suum & ad omnem infidelitatem & diffidentiam vnius ad alterum & consequenter ad æternam damnationem.*

S. AVGVSTINVS in Psalm. 124. pag. 600. *Ille forte impius est & iniquus, tu autem fidelis & iustus. Indignum est vt iustus & fidelis seruiat iniquo & infideli. Non hoc ei dixit, sed magis seruiat. Et vt corroboraret seruum hoc dixit; exemplo meo serui, quia* prior ego seruiui iniquis. *Dominus enim tanta in possessione sustinens, à quibus sustinuit nisi Dominus à seruis? Et à quibus, nisi à malis seruis? Nam si fuissent boni serui, honorarent Dominum suum. Sed quia mali serui erant, iniuriauerunt Dominum. Ille quid contra reddidit? Dilectionem pro odio. Ait enim,* Pater *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: Si Dominus cœli & terræ, per quem* Luc. 23.

facta sunt omnia, seruiuit indignis, rogauit pro sæuientibus & furentibus: *& tanquam medicũ se exhibuit aduenies (nam medici & arte & sanitate meliores seruunt ægrotis)* quanto magis *non debet dedignari homo, ex toto animo & ex tota voluntate bona, cum tota dilectione* seruire Domino etiã malo? *Ecce seruit melior deteriori, sed ad tempus. Quod autem dixi de Domino & seruo, hoc intelligite* de Potestatibus & regibus, *& de omnibus culminibus huius sæculi. Aliquando enim Potestates bonæ sunt & timent* DEVM, *aliquando non timent* DEVM. Iulianus *extitit* infidelis *Imperator. Nonne extitit* Apostata, *iniquus, idololatra?* Milites *Christiani seruierunt* Imperatori infideli. *Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat. Quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi* DEVM. *Quando autem dicebat,* producite aciem, *ite contra illam Gentem,* statim obtemperabant. *Distinguebant Dominum* æternum *à Domino* temporali; *tamen* sub-

ant propter Dominum æternum, *etiam Domino* temporali. *Sed nunquid sic erit semper, vt iniqui imperent iustis? Non sic erit. Videte enim quid dicat iste Psalmus; Quoniam*

non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Sentitur ad tempus virga peccatorum super sortem iustorum, sed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus quando vnus agnoscatur DEVS; veniet tempus quando vnus Christus in claritate sua apparens congreget ante se omnes gentes, & diuidat eas sicut diuidit pastor hædos ab ouibus: oues ponet ad dexteram, hædos ad sinistram.

Paulo ante. *Modo quidem iusti aliquantum laborant, & modo aliquando iniusti dominantur iustis. Quibus modis? Aliquando iniusti perueniunt ad* honores sæculi. *Cum peruenerint & facti fuerint vel* Iudices vel Reges, *quia hoc facit* DEVS *propter disciplinam plebis suæ, propter disciplinam populi sui, non potest fieri nisi* vt exhibeatur illis honor debitus Potestati. *Ordinauit enim sic* DEVS *Ecclesiam suam, vt omnis potestas ordinata in sæculo habeat honorem, & aliquando à melioribus. Diuersa sunt nomina Dominus, seruus: sed homines & homines paria sunt nomina. & quid dicit Apostolus, docens seruos dominis suis subditos esse? Serui obaudite Dominis vestris secundum carnem, quia est Dominus secundum spiritum. Ille est verus Dominus* Ephes. 6.

& æternus, isti autem temporales secundum tempus. Tu cum ambulas in via, cum viuis in hac vita, *non vult te facere* superbum *Christus. Contigit vt Christianus efficereris, & haberes Dominum hominem non ideo Christianus factus es, vt dedigneris seruire. Cum enim* CHRISTO *iubente seruis homini, non illi seruis*, sed illi qui iussit. *Et ait, obaudite Dominis vestris secundum carnem, cum timore & tremore, & in simplicitate cordis, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed quasi serui* CHRISTI, *facientes voluntatem* DEI *ex animo, cum bona voluntate. Ecce non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos.*

In verb.

ET AD FACTIONES, REBELLIONES, SEDITIONES ET PRINCIPVM PARRICIDIA EXCITANTEM.

CENSVRA lata in seditiosum librum, cui titulus G.G.R. Admonitio, 26. Nou. 1625. *Ad solicitandum corda Principum huius Regni vt discessionem & vorsuram meditentur.* Et post. *Regni optimates & proceres ad*

fœdissimam desertionem, *populum ad generalem* defectionem atque seditionem, *specioso quidem sed fucato Religionis Catholicæ retinendæ ac conservandæ prætextu, hortantem, excitantem, impellentem.* Post *vindemiam* parricidarum, *racemationem istam superstitem.*

M. Georgivs Froger in dicta Censura: *Ne subiecti Domino nostro Regi abripi se sinant Africo pestilentis istius doctrinæ vento.*

Idem in notis in librum de Eccles. & politica potestate. *Summus* Pontifex *nulla ratione potest aut Reges deponere, suoue deturbare solio, multominus subditos eorum absoluere à iuramento fidelitatis, aut* in Reges *permittere iusue cuiquam facere sæuiendi aut mortem intentandi.*

Censvra lata die 4. Iunij 1610. *Facultas censet ista peregrina & seditiosa dogmata, velut impia, hæretica, Societati ciuili, paci & tranquillitati publicæ ac Religioni Catholicæ penitus contraria.* Paulò pòst; *Secundo censet seditiosum, impium & hæreticum esse, quocumque quæsito colore, à quocumque subdito, vasallo aut extraneo, sacris Regum & Principum personis vim habere.*

Acta in comitijs Facultatis Theologiæ Parisiensis contra librum inscriptum, *Controuersia Anglicana &c. auctore Martino Becano*, habitis die 1. Febr. 1613. *M. Nicolaus* DE PARIS, *Doctor eiusdē Facultatis sibi videri dixit propositiones* (Becani) *execrabilem* Regum & Princip ūcædem, *tanquā rem licitam & glorioſam Chriſtianis proponere; ſubindeq;* publicæ pacis *extinctionē*, proditiones *horrendas & innumeras populorum ſtrages*, rebelliones ac ſeditiones *varias, in regna omnia importare, denique ius diuinum & humanum euertere. Quapropter ne tam peſtilens venenorum colluuies ſit detrimento Reip. Chriſtianæ, præſertim vero*, ne Regno huic Gallicano *cauſam ſui luctus* renouet, *iam duobus maximis optimis & clementiſſimis* Regibus, *ex ipſius ſinu vno eodemque* parricidij *genere funeſtiſſimo & prorſus horribili, abreptis, dictæ Facultati ſupplicauit, vt quid ipſa de eiuſmodi propoſitionibus ſentiret, nuncquoque palam facere dignaretur.*

F. N. COEFFETEAV docteur en Theologie, de l'ordre des Freres Preſcheurs, & Predicateur ordinaire du Roy, en ſa Reſponce à l'Aduertiſſement adreſſé par le Sereniſſime Roy de la Grande Bretagne,

IAG-

IACQVES I. à tous les Princes & Potentats de la Chreſtienté, imprimé à Paris chez Huby, 1609. auec approbation de F. A. SIMEON & F. N. DESLANDE Docteur en Theologie de l'Vniuerſité de Paris. *Peut eſtre*, SIRE, *que la iuſte douleur d'auoir veu quelques Catholiques conſpirer* contre voſtre vie & contre voſtre Eſtat, *vous fait auoir en horreur la Religion qu'ils embraſſent, vous figurant qu'elle les a induicts à vne entrepriſe ſi deteſtable. A la verité, ſi l'Egliſe Catholique enſeigne* ces fureurs, *ſi elle arme les ſiens* contre les Rois, & les fait attenter à leur vie, *non ſeulement elle eſt indigne de leurs faueurs, mais encores elle mérite d'eſtre exterminee, & ſa memoire effacee du monde par vn public* Arreſt *du genre humain. Mais ſi au contraire elle condamne comme parricides tous ces attentats; ſi elle deſire aux Princes vn Empire aſſeuré, des armees victorieuſes, vn peuple obeyſſant, vn Conſeil fidelle, & tout ce qu'on peut ſouhaitter d'heureux à leur Grandeur, n'eſt elle pas innocente parmy la rage de quelques particuliers, que le deſeſpoir & non la Religion, a pouſſez à ceſte* brutalité ? *Elle ſçait qu'elle ne peut ſubſiſter ſans l'Eſtat, puis qu'elle eſt nee dans l'Eſtat, & que l'Eſtat luy ſert d'appuy.*

S. BERNARDVS Epiſt. 170. ad Ludoui-

cum iuniorem Regem Francorum. Edit. Pariſ. an. 1586. pag. 203. *Si totus orbis aduerſum me coniuraret, vt quidpiam molirer aduerſus Regiam Maieſtatem, ego tamen* DEVM *timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem : Nec enim ignoro vbi legerim ; Qui poteſtati reſiſtit,* DEI *ordinationi reſiſtit.*

S. AMBROSIVS in Euangel. Lucæ cap. 5. pag. 73. *Apoſtolica inſtrumenta piſcandi recta ſunt, quæ* non *captos* perimunt, *ſed reſeruant ; & de profundo ad lumen extrahunt & fluctuantes de infernis ad ſuperna perducunt.*

S. CYPRIANVS Epiſt. 11. lib. 1. *Interfici* DEVS *iuſſit ſacerdotibus ſuis non obtemperantes, iudicibus à ſe ad tempus conſtitutis non obedientes, & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio carnalis manebat.* Nunc *autem quia circumciſio ſpiritualis eſſe ad fideles* DEI *cœpit,* ſpirituali gladio *ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſia eiiciuntur.*

S. AVGVSTINVS lib. de fide & operibus cap. 2. *Et Phinees ſacerdos adulteros ſimul inuentos vltore ferro transfixit: quod vtique degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum* in hoc tempore,

cum in Eccleſiæ diſciplina viſibilis gladius *fuerit ceſſaturus.*

CONCILIVM TOLETANVM IV. cap. 75. *Poſt inſtituta quædam Eccleſiaſtici ordinis vel decreta, quæ ad quorumdam pertinent diſciplinam, poſtrema nobis cunctis ſacerdotibus ſententia eſt* pro robore noſtrorum Regum *& ſtabilitate gentis Gothorum pontificale vltimum ſub Deo iudice ferre decretum. Multarum gentium (vt fama eſt) tanta exiſtat perfidia animorum, vt fidem ſacramento promiſſam* Regibus *ſuis obſeruare contemnant, & ore ſimulent iuramenti profeſſionem dum retineant mente perfidiæ impietatem. Iurant enim* Regibus *ſuis, & fidem quam pollicentur præuaricantur, nec metuunt volumen illud iudicij, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio ſuper eos qui iurant in nomine Dei mendaciter. Quæ ergo ſpes talibus populis contra hoſtes laborantibus erit? Quæ fides vltra cum alijs gentibus in pace credenda poſt fœdus non violandum?* Quæ in *hoſtibus iura ſtabili permanebunt ſponſione, quando nec ipſis* Regibus *proprijs iuratam fidem conſeruant? Quis enim adeo furioſus eſt qui caput ſuum manu ſua propria deſecet? Illi, vt notum eſt immemores ſalutis ſuæ propria manu ſeipſos interimunt, in ſemetipſoſque ſuoſque*

Reges *proprias conuertendo vires. Et cum Dominus dicat*; Nolite *tangere* Christos meos: *Et Dauid:* Quis, *inquit*, extendit manum suam in Christum Domini & innocens erit? *illis nec vitare metus est periurium, nec* Regibus *inferre exitium, hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quod si in bello fides vigeat, quantomagis in suis seruanda est? Sacrilegium quippe est, si violetur à gentibus Regum suorum promissa fides, quia non solum in eis fit pacti* transgressio, sed & in Deum in cuius nomine *pollicetur ipsa promissio. Inde est quod multa* Regna terrarum, *cœlestis iracundia ita permutauit, vt pro impietate fidei & morum, alterum ab altero soluerentur; Vnde & nos cauere oportet causam huiusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti & plaga puniamur crudeli. Si enim Deus Angelis in se preuaricantibus non pepercit qui per inobedientiam cœleste habitaculum perdiderunt. Vnde per Esayam dicit*, Inebriatus est gladius meus in cœlo; *quantomagis nos nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem sæuiente gladio pereamus? Quod si diuinam iracundiam vitare volumus, & seueritatem eius ad clementiam prouocare cupimus, seruemus erga Deum Religionis cultum,*

atque timorem custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem: *Non sit in nobis, sicut in quibusdam gentibus* infidelitatis subtilitas impia, *non subdolæ mentis perfidia, non periurij nefas, & coniurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præsumptione Regnum accipiat, nullus excitet mutuas* seditiones ciuium, *nemo meditetur* interitus Regum. *Quod si hæc admonitio mentes nostras non corrigit & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audi sententiam nostram. Quicumque igitur ex nobis vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione vel studio,* sacramentum fidei suæ *quod pro patriæ gentisque Gothorum statu vel conseruatione* Regiæ salutis *pollicitus est temerauerit, aut* Regem nece *attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica Regni fastigium vsurpauerit, Anathema sit in conspectu Dei patris & Angelorum, atque ab Ecclesia Catholica quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus & ab omni cœtu Christianorũ alienus cum omnibus impietatis suæ socijs, quia oportet vt vna pœna teneat obnoxios, quos similis error inuenerit implicatos.* Quod iterum secundo replicamus dicentes; *Quicumque amodo ex nobis vel cunctis*

Hiſpaniæ populis quolibet tractatu vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ quod pro patriæ gentisque Gothorum ſtatu vel conſeruatione Regiæ ſalutis pollicitus eſt violauerit aut Regem nece attrectauerit, aut poteſtate Regis exuerit, aut præſumptione tyrannica regni faſtigium vſurpauerit, Anathema in conſpectu Chriſti & Apoſtolorum eius ſit, atque ab Eccleſia Catholica quam periurio profanauerit efficiatur extraneus, & ab omni conſortio Chriſtianorum *alienus, & damnatus in futuro iudicio habeatur cum participibus ſuis, quia dignum eſt vt qui talibus ſociantur, ipſi etiam damnationis eorum participatione obnoxij teneantur.* Hoc etiam tertiò acclamamus dicentes; *quicunque à modo ex nobis vel cunctis Hiſpaniæ populis qualibet meditatione vel ſtudio ſacramentum fidei ſuæ quod pro patriæ ſalutis gentiſque Gothorum ſtatu, vel incolumitate Regiæ poteſtatis pollicitus eſt violauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut poteſtate Regni exuerit, aut præſumptione tyrannica Regni faſtigium vſurpauerit, Anathema ſit in cõſpectu Spiritus ſancti & martyrum Chriſti, atque ab Eccleſia Catholica quam periurio profanauerit efficiatur extraneus, & ab omni Chriſtianorum communione alienus nec partem habeat iuſtorum: Sed*

cum diabolo & Angelis eius æternis supplicijs condemnetur vna cum eis qui eadem coniuratione nituntur, vt par pœna perditionis constringat quos in perniciem praua societas copulat. *Et ideo si placet omnibus qui adestis hoc tertio reiterata sententia vestræ voeis consensu firmate, ab vniuerso cl[illegible]o vel populo dictum est: qui contra hanc nostram definitionem præsumpserint Anathema, maranatha, hoc est perditio in aduentum Domini sint & cum Iuda Scarioth partem habeant ipsi & socij eorum.* Amen.

CONCILIVM CONSTANTIENSE Sess. 8. pag. 154. 155. & 156. Edit. Rom. Articul. Ioannis Vvicleff 15. Nullus est Dominus ciuilis, dum est in peccato mortali. *Hæc sancta Synodus præfatos articulos quadragintaquinque examinari fecit, & sæpius recenseri per plures reuerendiss. Patres Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Episcopos, Abbates,* Magistros in Theologia, Doctores iuris vtriusq; *& plures notabiles in multitudine copiosa: quibus articulis examinatis fuit repertum (prout in veritate est) aliquos & plures ex ipsis, fuisse & esse notorie hæreticos & à sanctis Patribus dudum reprobatos, alios non Catholicos,* sed erroneos, *alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensiuos, nonnullos eorum temerarios &* seditiosos.

Turselinus & alij eiusdem societatis aiunt, *titulo & iure Regna primati sunt.*

IDEM Sess. *15.* pag. *199. & 201. & 203. Incepit legere articulos formatos & dogmatizatos* per Iohannem Vvicleff. & Iohannem Hufz *in hunc*

modum: Princeps vel Dominus tempore quo est in peccato mortali, non fortitur nomen illius officij nisi nomine tenus & satis æquiuoce. Sacrosancta generalis Synodus, *Ecclesiam Catholicam repræsentans, declarat, articulos, quos idem Ioannes Huſz in publica audientia coram patribus & prælatis huius sacri Concilij confessus fuit, in suis libris & opusculis contineri, non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos. sed ex eis plures esse* erroneos, *alios scãdalosos, aliquos piarum aurium offensiuos, plureſque eorum esse temerarios &* seditiosos, *& nonnullos eorumdem esse* notorie hæreticos, *& iamdudum à sacris Patribus & generalibus Concilijs reprobatos et damnatos. Vidit et cognouit eundem Ioannem pertinacem & incorrigibilem, & adeo totaliter, quod non cupiebat ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redire, neque hæreses et errores per eum publice defensatos & prædicatos, velle abiurare. Idcirco eundem Iohannem Huſz ab ordine sacerdotali & alijs ordinibus, quibus existit insignitus, deponendum & degradandum fore* declarat & decernit, *committens nihilominus reuerendis in Christo patribus Archiepiscopo Mediolanensi, Feltrensi, Astensi, Alexandrino, Bagarensi & Vaurensi Episcopis, vt in præsentia huius sacrosanctæ Synodi* dictam degradationem, *secundum quod ordo iuris requirit, debite exequantur.* Hæc sancta Synodus *Constantiensis Iohannem Huſz, attento quod* Ecclesia Dei non habeat vltra quid gerere valeat, *iudicio sæculari relinquere, & ipsum Curia sæculari relinquendum fore decernit.*